



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

V. Nonnullæ instantiæ præcedentis argumenti refelluntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

contrario: sic eo ipso, quod amor sit persecutio obiecti, non solum realiter, sed etiam virtualiter, nequit actus voluntatis esse amor alicuius obiecti, quin eiusdem persecutio, & amplexus sit, illudve amare, & non amplecti, aut è diverso: sic denum in aliis rebus communiter vsuuenit: ergo similiter in presenti, &c.

38 Confirmatur, & declaratur: actum aliquem amare obiectum nihil aliud est, quam ad illud, ut amor est, terminari, & contra, aliquem actum odisse obiectum, perinde est, atque ad illud, prout est odium, terminari: sed in opposita sententia actus contritionis adductus, ut amor est, terminatur ad vtrumvis obiectum, & ut odium etiam terminatur ad vtrumvis: ergo actus ille vtrumvis obiectum, videlicet, tam diuinam bonitatem, quam malitiam peccati simul amat, & odio persequitur, quod contra hypotheseos disparationis, & contra manifestam rationem militat. Maior probatur, quia actionem agere aliquem effectum, vnionem vnire aliquod extremum, cognitionem cognoscere aliquod obiectum, & actionem, vnionem, cognitionem terminari prout tales, siue sub ratione talium ad terminos recensitos: actum ergo voluntatis amare obiectum est terminari ad illud sub ratione amoris, siue prout amor est; idemque similiter de odio dicendum est. Minor probatur, quoniam in opposita sententia virtualem abnuente distinctionem, actus ille, ut amor, nequit habere terminationem, quam non habet ut odium, aliàs fortiteretur à parte rei prædicatum aliquod, ut amor est; quod non fortitur, ut odium, & sic virtualiter esset distinctus, quia amor est à seipso, quia est odium: sed ut amor, seu sub ratione amoris terminatur ad diuinam bonitatem: ergo etiam ut odium ad illam terminabitur; & ut odium ad malitiam peccati: ergo etiam ut amor ad eandem, ac proinde actus ille, cum ut amor, tum ut odium ad vtrumvis obiectum terminabitur, quæ erat minor probanda.

39 Confirmatur secundo: si odium, ut odium est, ad nullum obiectum à parte rei terminaretur, nullum odisset: ergo si, ut odium, ad omne suum obiectum à parte rei terminatur, omne suum odierit obiectum: quando enim affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, & è conuerso: at actus contritionis adductus, ut odium, ad omne suum terminatur obiectum: ergo omne suum obiectum odio habebit: assumptio ex superioribus constat, quoniam si, ut odium est, ad omne suum obiectum non terminaretur, sed ad aliquod, ut amor, & non ut odium, profectò hæc duæ rationes in illo virtualiter distinguerentur.

40 Confirmatur tertio: Non potest essentia diuina, ut essentia, siue sub ratione essentiae à parte rei communicari Filio, non communicata ei Paternitate, ut Paternitas est, absque distinctione virtuali vtriusque, ut multi fatentur aduersariorum, utque omnibus fatendum esse, superius probauimus: ergo non potest actus contritionis, ut amor est, ac sub ratione amoris terminari ad Deum, non terminatus ad eundem, ut odium est, quin hoc ipso amor, & odium in illo virtualiter distinguantur.

41 Tandem confirmatur: nequit aliquis actus non tribuere subiecto, in quo recipitur omnem suum effectum formalem intrinsecum, si subiectum eius capax sit: similiter ergo nequit vllus actus non tribuere obiecto, ad quod terminatur omnem suum effectum formalem extrinsecum, si obiectum sit illius capax: at amor in actu contritionis virtualiter intrinsecè indistinctus ab odio peccati, ad peccatum,

non minus, quam odium terminatur, & peccatum est capax de se effectus formalis amari; ille igitur actus tribuit, non minus peccato quam Deo effectum illum formalem, adeoque peccatum, & Deum ex æquo amabit, & oderit. Primum confirmationis antecedens, ex quo reliqua ritè sequuntur, sponte sua perspicuum est: qui enim fieri potest, ut idem realiter actus respectu vnus obiecti amor, & intuitu alterius odium sit, & tamen voluntatem, in qua totus recipitur, intrinsecè amantem, & simul etiam odio habentem non denominet?

CAPVT V.

Nonnullæ instantiæ præcedentis argumenti refelluntur.

42 Superiori simul vsus sum argumento, non pauca aduersus illud prodire Neotericorum instantiæ, non pauci ei adhibere solutiones: has sequenti, illas præsentem capite refellere est animus; tum, ut constet haud adeo elumbem esse rationem, quam tot arietes minime labefaciunt, tum etiam, ut obiter pateat, quanam inter formalitates creatas distinctio virtualis intercedat. Prima igitur aliquorum instantia, eorumque iudicio manifesta sic se habet. Amor contritionis, & quidditas eius amoris, ne virtualiter distinguuntur: sicut ergo amor ille ad Deum terminatur, ita & eius quidditas: & tamen Deum quidditatiuè constitutum non denominat: quanquam ergo eiusmodi amor ad peccatum terminetur, non propterea illud amatum denominabit.

43 Respondeo, quemadmodum ad hoc, ut rei alicui effectus formalis, vel intrinsecus, vel extrinsecus conueniat, requiritur forma; & insuper subiectum capax, siue congruum, defectu cuius intellectio in lapide posita eum non redderet intelligentem, ita similiter requiritur ad quemlibet effectum formalem vnio, non quæcunque, sed congrua, & proportionata ad eum effectum formalem tribuendum, quo ex capite oritur, ut sanctitas infinita Verbi vnita humanitati eam non denominet simpliciter infinitè sanctam, sed potius minus sanctam, quam ipsum Verbum, quia nimirum ei non vnitur per identitatem, sed per vnionem informatiuam, cum tamen prior illa, non posterior vnio ad sanctificandum simpliciter infinitè necessaria sit. Porro triplex vnio est, alia identitatis, de qua iam iam: alia receptionis, vel informationis, cuiusmodi est vnio candoris cum pariete, alia terminationis, vel informationis extrinsecæ, qualis est vnio cognitionis cum obiecto: harumque alia ad aliquos, alia ad alios effectus formales, seu denominationes tribuendas requiruntur. Quæ cum ita sint, dicendum est, quidditatem amoris, siue contritionis ad Deum terminari extrinsecè, eique hoc vnionis genere, non verò per identitatem vniri: cum autem effectus formalis, siue denominatio quidditatiuè constituti postulet vnionem, non quamcumque, sed per identitatem mirandum non est, quod quidditas contritionis, quantumlibet ad Deum terminata, eum quidditatiuè constitutum non denominet: hæc autem ratio non militat in euentu nostri argumenti, amor enim contritionis non potest non terminari extrinsecè ad peccatum, sicut odium, à quo ne virtualiter distinguitur; quid ergo ei deesse poterit ad peccatum amandum, eique non minus hanc denominationem, quam denominationem odio habiti tribuendam? adest enim forma, nempe amor: insuper subiectum capax denominationis amari, videlicet

videlicet peccatum: necnon etiam vnio proportio
nata, scilicet terminatio extrinseca amoris ad pecca-
tum: quidquid verò ulterius exigas, commētitium est.

44 Alij dupliciter nostrum instant argumentum:
Primo sic: amor, & odium contritionis, vt sunt af-
fectus, respiciunt voluntatem, & tamen eam amaram,
& odio habitam non denominant: tamen ergo amor,
& odium contritionis Deum respiciant, ad eumque
terminentur, non propterea eum amatum, ac simul
odio habitum denominabunt. Secundo sic: siquid
nostrum probat argumentum, illud, inquit, con-
uincit, eundem actum posse esse simul amorem, &
odium, aut, quod in idem recidit, assensum simul,
& dissensum respectu vnus, eiusdemque obiecti:
etenim distinctio virtualis præstat, vt eadem res
æqualeat duabus inter se realiter distinctis, sed duo
actus realiter distincti inter se possunt esse assensus,
& dissensus respectu vnus, eiusdemque obiecti:
ergo & vnus realiter actus poterit esse assensus, &
dissensus respectu vnus, eiusdemque obiecti, per
aliam nimirum, aliamque sui formalitatem. Quod
ita declarari potest: communicabilitas, & incommu-
nicabilitas, id est Natura, & Paternitas, quia virtua-
liter distinguuntur, & contradictionem subeunt præ-
dicatorum, respectu eiusdem sunt, eidemque Filia-
tioni Natura communicabilis, & Paternitas incommu-
nicabilis dicitur; actus ergo contritionis eiusdem
obiecti amor simul, & odium esse poterit, si quid ea
valet formalitatum distinctio.

45 Neutra tamen instantia difficultatem facit:
quod enim ad priorem attinet, aliud est terminari
extrinsecè, aliud intrinsecè recipit mea enim cogni-
tio terminatur ad lapidem, sed non recipitur in
illo, & rursus recipitur, & non terminatur ad
me, me siquidem vi illius non cognosco, cum
ergo, vt voluntas denominetur amata, aut cogni-
ta, qualiscumque respectus non sufficiat, sed eo
opus sit, ratione cuius amor terminetur ad vo-
luntatem, mirum non est, quod illa non dica-
tur amata per actum contritionis, hic enim ad
eam non terminatur, esto in ea recipiatur: cæ-
terum amor contritionis terminatur ad peccatum,
& odium ad Deum, sicut ad alterum amandum,
& alterum odio habendum oportet.

46 Quod ad secundam instantiam attinet, ea mul-
tis difficultatibus scatur: Namque fieri nequit per
eundem realiter actum, quantumlibet in plures
formalitates virtualiter diuiduum, quod ne per
distinctos realiter actus præstari potest: hoc ipsi
aduersarij videntur supponere in argumento, si-
quidem in eo supponunt, distinctionem virtua-
lem præstare, vt idem actus duobus æquiualens
sit, non verò, vt eorum vim exuperet: Sed vo-
luntas ne per distinctos realiter actus potest simul
amare, & odire, aut intellectus simul assentire,
& dissentire; ergo nec etiam poterunt per eun-
dem realiter actum, tamen virtualiter multipli-
cem. Deinde id incommodi, quod argumentum
inferre contendit aduersus nos, parem habet se-
quelam in argumentum sententia: Siquidem ij etiam,
qui distinctionem virtualement intrinsecam negant,
explicare tamen, tuerique nituntur, eandem rem
esse æquiualem duabus realiter distinctis, ho-
minem v. g. absque vlla inter animalitatem, &
rationalitatem virtuali distinctione, quoad alteram
tamen formalitatem, belluæ, & quoad alteram,
Angelo æquiuale, & similem esse: si ergo pro-
pter æquiualem, quam respectu plurium rerum
habet eadem simplex ratio, sequitur ex nostra
sententia eundem actum fore assensum, & dis-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

sentum, amoremve, & odium vnus obiecti, id
ipsum sequetur in aduersariorum sententia. Bene
video, maiorem à nobis æquiualem, quam
ab aduersariis in eadem re admitti; non tamen tan-
tam, quantam ipsi contendunt.

Præterea in Deo assensus, & dissensus, alia-
que formalitates virtualiter distinguuntur, vt su-
perius vidimus: atqui hoc non obstante fieri
nequit, vt idem realiter actus in Deo assensus,
& dissensus sit vnus, eiusdemque obiecti; quamuis
ergo cognitio creata virtualiter distincta à nobis
adstruatur, exinde tamen haud sequitur, eandem
realiter cognitionem creatam posse esse simul as-
sensum, & dissensum respectu eiusdem. Suboue-
runt aduersarij hanc difficultatem, eique occurre-
runt dicentes idcirco repugnare, vt idem actus
diuini intellectus, quantumlibet virtualiter di-
stinctus, assensus tamen, & dissensus sit compa-
ratione vnus, eiusdemque obiecti, quoniam re-
pugnat Deo falsitatis imperfectio; si autem vni
alicui obiecto assensum simul, & dissensum præsta-
ret, alter eorum necessario falsus esset: hæc au-
tem ratio non militat in intellectu creato, cui falsi-
tas non repugnat.

Cæterum hæc euasio facile præcluditur: supponi-
mus enim omnes in præsentia absolute repugnare, vt
idem intellectus creatus simul assentiatur, ac dissen-
tiatur eidem obiecto, haud secus, ac repugnat, vt in-
tellectus diuinus in idem feratur obiectum, quam-
uis hæc repugnantia in Deo oriatur ex eo, quod
nunquam falli possit, in intellectu verò creato ex alio
capite, & fortassis, quia, etsi aliàs falli possit, non ta-
men in re tam euidenter falsa, ac est idem simul esse,
& non esse, quod tamen affirmaret, si eidem obiecto
assensum simul, ac dissensum conferret: si ergo propter
priorem repugnantiam censent aduersarij, eundem
actum diuini intellectus non posse esse assensum, &
dissensum respectu eiusdem obiecti, eodem iure nos
etiam tueri poterimus propter posteriorem repu-
gnantiam, eundem etiam actum intellectus creati non
posse esse assensum, & dissensum comparatione eiusdē
obiecti, vt in creatis admittamus distinctionē virtua-
lem, sicut eam in diuinis contrarij permittunt.

49 Vltius distinctio virtualis deseruire, nec debet,
nec potest ad id quod etiam diuinitus repugnat, quo
pacto non eo valet, vt idem simul habeat esse, & non
esse, vtve sit productum, & producat realiter se-
ipsum: At aduersarij existimant, & nos etiam id per-
mittimus disputandi gratiā fieri ne diuinitus posse,
vt idē intellectus eidē obiecto simul assentiatur & dis-
sentiatur: mirandum ergo nō est quod ad hoc distinctio
virtualis sit insufficiens. Quod si supernaturaliter con-
tingere potest ea si multas & cōpositio assensus & dis-
sensus realiter distinctorum in eodem intellectu, &
circa idem obiectum, vt nonnullis placet, vtque à
nobis etiam haud improbabile iudicabitur in Metaph.
lib. 7. tract. 12. cap. 1. ægrè quidem apparet cur idem
actus nequeat diuinitus esse assensus & dissensus in-
tuitu eiusdem obiecti (idque siue admittatur distinctio
virtualis, siue secus; vt cuius enim dicatur, ad rem
nihil interest) sicut etiam idem actus potest esse assen-
sus, & dissensus respectu diuersorum obiectorum, hoc
ipso quod intellectus noster per diuersos actus diuer-
sus possit obiectis simul assentiri, ac dissenti. Hæc quā-
uis ita sint, vnā tamē alterāve rationē repugantiæ inue-
nio in eo, quod idē actus sit simul assensus & dissensus
vnus eiusdemque obiecti. Primo enim repugnat vt
intellectus naturaliter simul assentiatur, ac dissentiatur ei-
dem obiecto vt ipsa testatur experientia: Quod si
idem actus naturalis foret assensus, & dissensus, sanē

D

id

id incommodi sequeretur : ergo, &c. Rursus secundò: siue actus ille, de quo est disputatio naturalis esset, siue supernaturalis, profectò assensus & dissensus essent in eo inseparabiles etiam diuinitus: At quamuis assensus & dissensus sint supernaturaliter composibiles, non tamen supernaturaliter inseparabiles in eodem actu: Quandoquidem enim in eodem intellectu nequeunt esse naturaliter inseparabiles, nedum supernaturaliter: quò fieri potest, ut sint etiam in eodem actu supernaturaliter inseparabiles.

50 Potrò exemplum in confirmationem secundæ instantiæ à nobis appositum, etsi videatur satis plausibile, nihil tamen urget: Sicut enim eidem Filiationi natura diuina est communicabilis, & Paternitas incommunicabilis, sic etiam ad Deum præcisè sumptum amor contritionis terminatur, & odium non terminatur: quemadmodum verò natura diuina, ut talis, secundam, & tertiam personam Deum denominat, Paternitas verò neutram earum Patrem denominat, sed duntaxat primam personam, ita similiter amor contritionis solum Deum denominat amatum, non verò odio habitum, & odium ab amore virtualiter distinctum solum peccatum, è contrario, &c. En quatenus exemplum aduersariis oblit, nobis profit.

51 Tertiò alij duas instantias afferunt, quibus vim nostri argumenti penitus labefactare sibi videntur. Prima earum est: formalitas amoris in actu contritionis, quamuis sit vna virtualiter, tamen Deum denominat amatum, & peccatum non amatum, cum non sit amor peccati: quamuis ergo totus actus contritionis, quæ amor, & quæ simul odium, sit vnus virtualiter & non multiplex, multiplicem tamen denominationem tribuere, Deumque amare, & peccatum odisse poterit. Secunda earum est: productio realis amoris contritionis eum producit, eademque virtualiter productio impedit carentiam amoris illius, necnon etiam odium efficax, quo à Deo posset quis obstinate auerti: Eadem ergo virtualiter formalitas duas denominationes tribuit, vnamque rem productam, aliamque impeditam denominat: ergo similiter, &c.

52 Hæ instantiæ plures difficultates patiuntur, quam quas obiciunt. Principio enim, quod aiunt, eandem formalitatem amoris denominare Deum amatum, & simul peccatum non amatum, tantum abest à vero, ut hæ denominationes à diuersis realiter formis, altera positiua, negatiua altera proueniant: siquidem peccatum denominatur absolute, ac simpliciter non amatum per carentiam amoris cuiuscunque ad illud terminati, quicunque enim ad illud terminetur, ei denominationem amati impertiet, & ne non ametur utique prohibebit, sed carentia cuiuscunque amoris in peccatum tendentis distinguitur realiter ab amore contritionis, quo Deum prosequimur. Rursus secundo, si amor contritionis seipso, & non potius eius carentia denominat peccatum non amatum, videlicet, quia, ut inquit hi recentiores, eiusmodi amor non est amor peccati, sed Dei, planè sequeretur eam tribuere infinitas denominationes realiter distinctas, quod perfectionem vnus formæ finitæ superat. Sequelam probonamque, ut ille amor contritionis, quia non est amor peccati, illud denominat non amatum, ita similiter illud denominabit non cognitum, quia non est cognitio illius, non sensum, quia non est sensus illius, non appetitum, quia non est appetitus materialis illius, non cogitatum, quia non est cogitatio, aut phantasma illius, non vbicatum, quia non est vbicatio illius, non album, quia non est candor, & sic in infinitum.

53 Præterea tertiò transeat, eundem etiam virtualiter amorem contritionis denominare Deum amatum, &

peccatum non amatum: Hinc profectò non inferretur cum tribuere diuersas denominationes, sed potius vnā denominationem, & carentiam alterius, adeoque vnā solam: Etenim si amor contritionis denominat peccatum non amatum, in tantum id præstat, in quantum non denominat peccatum amatum, planè, ut perinde sit peccatum denominari ab eo non amatum, ac non denominari ab eo amatum, præsertim cum iuxta aduersarios ideo amor Dei denominet peccatum non amatum, quia non est amor illius, siue quia illud non denominat amatum: Sed peccatum non denominari amatum non est denominatio, sed carentia denominationis: ergo etiam peccatum denominari non amatum non denominatio, sed carentia denominationis erit, atque adeo, cum amor contritionis denominat Deum amatum, & peccatum non amatum, vnā denominationem, & carentiam alterius, ac proinde vnā solam, & non duas tribuit, præsertim, quia alioqui alias infinitas tribueret, ut nuper expendebamus: perperam ergo hinc arguitur indistinctio virtualis actus contritionis, qui Deum amans, & peccatum odio prosequens duas denominationes omnium confessione impertit.

Tandem permittamus vltro, eiusmodi denominationes amari, & non amari ea ratione, qua ab amore contritionis proficiuntur esse duas denominationes, vnde colligunt aduersarij, illas ab eadem virtualiter formalitate amoris proficisci, & non potius à duplici: qui enim asserimus, amorem contritionis non nisi per formalitatem à se virtualiter distinctam odisse peccatum, potiori iure tuebimur, eum denominare peccatum non amatum per formalitatem à se virtualiter distinctam: directius enim opponitur amor non amare, quam odisse, cum prior illa oppositio, & contradictio sit formalis, posterior verò tantum virtualis, & ne virtualis quidem contradictio iuxta omnes: magis ergo, vel certè non minùs distat ab amore denominatio non amari, quam denominatio odio haberi: si ergo hanc posteriorem, non per semetipsam, sed per aliam formalitatem distinctam tribuit, à fortiori priorem, non seipsa, sed munere alterius formalitatis virtualiter distinctæ tribuet, præsertim, quia alias eadem virtualiter formalitas infinitas denominationes daret, ut iterum, iterumque obicimus.

55 Quod secundo opponunt iidem, haud magis vrger: facile enim dici potest, productionem amoris non impedire nolitionem, siue odium eiusdem amoris per semetipsam, sed per carentiam eius odij à se realiter distinctam, ac natura posteriorem, quo pacto forma ignis non per seipsam formaliter, sed per carentiam à se illaram impedit in actu secundo formam aeris in eadem materia: Deinde eadem productio impedit carentiam amoris contritionis per hunc ipsum amorem, non verò per semetipsam.

56 Vltèrius: sit, ut productio illa impediatur in actu secundo aut in actu primo, si de eo loquuntur, odium amoris, quem producit, eiusuè carentiam: vnde inferunt, talem productionem per seipsam, non solum realiter, quod modò permittimus, sed etiam virtualiter impedire nolitionem, odiumuè amoris, & non potius per formalitatem à se virtualiter distinctam: nec enim ex nostris principiis, si rectè perspiciantur: qui enim diuidimus virtualiter in plures formalitates terminum productum, de indiuisione productionis solliciti esse non possumus: nec etiam sequelam illam alio argumento probant, aut possunt.